unum Ioachimicum. Fit summa datorum universa dal. vulg. 11. & 8. Stuf. Hanc nect cum summa victus, concludes dal. vulg. 33. & 28. Stuf. Quarto non. Maji 77 accepi 15. dal. Philippicos, qui in macello nostro singuli valent 35. Stuf. Seni ergo faciunt septenos 15. Efficiunt vulg. dal. 17. & 15. Stuf. Accepi & 6. Coron. aur. quæ bina ad stateram Bremensem valent 3. dal. vulga. & 2. Stuf. Sex igitur Coron. faciunt vulgar. dal. 9. & 6. Stuf. Fiat συλλογισμός. Accepi dal. vulg. 26. & 21. Stuf. dedi 33. dal. vulg. & 26. Stuf. Reddetis igitur dal. vulg. 7. & 7. Stuf. Nemo alteri obstrictus erit nisi ad mutuam dilectionem. Non ægre ferat nobilis Satrapa quod nummorum pretijs hic aliquid decedat, si cogitet vir humanissimus nos utentes foro nostro, nullum ex ea re capere emolumentum. Hic nobis emitur farina, lupus piscis, perna, butyrum, caseus, sal & ligna, vestitus & supellex libraria, cæteræque res quas requirit familia, non possunt nisi ad publicam formam comparari. Nuper emi bovem saginatum vulg. dal. 32. dedi vendenti coronas hispanicas 20. & Ioachim. 2. in quibus 6. gross. superärant bremenses, eos custodibus donavi. De statu Ecclesiæ vis me scribere: id aliàs fiet tempestivius, nam paucis expediri non potest, & jam chartam implevi. Dimetrum mitto si fors alterum illud hæreat in via. Colliget paulatim Dominus (ut spero) quod dispersit qui si nos servet incolumes, æstivam cessationem hybernis studijs alacriter sarciemus. Vale vir eximie, & præclarum Satrapam Ottonem Falcken cum honestiss. conjuge meis verbis officiose saluta. Tammonem hortare, ut omnes nervos in hoc intendat, si quando DEI Patris nostri benignitas huc eum reduxerit, ut statim in meum classem cooptari possit. Salutem precor tuæ familiæ tuisque Collegis. Iterum vale. 15. Cal. decemb. 1577. Amicus & frater in fide & dilectione D. n. Iesu Christi. Brema

Iohannes Molanus.

Pax Christi. [An Umbenaunt] No. 314)

Respiras vir fortis apud familiarem tuum Lire, & generis gravem provinciam tuis humeris impositam: me vide. qui navis in pestilentiæ scopulum illisæ tabulas colligo senex veternosq. facessis tibi tamen in isto otio (ut ais) negotium, imo vero mihi facessis, epistola tam longa, quæ vel loquacem Fabium Cæsare legendo possit. Credis amori nostro aliquam ægritudinem intervenisse: Atqui bonorum amicitias oportere ajunt sempiternas esse. Equidem ut studui semper [illegible] τῷ [illegible]: ita nunc maxime velim esse [illegible] [illegible], [illegible] [illegible] ἐν τῷ ἔργῳ τοῦ κυρίου. Sed habet et sincerus amor suas querimonias, suamque [illegible]. Quod surgit schola vestra, nobis inter rudera & ruinam luctantibus: nunquam habui tam nequam tamque malignum oculum ut DEI bonitatem erga proximum molestè ferrem. Qui te tam comiter juvi, ut istud quidquid est oneris interreciperes. tuas progressiones sine invidentia pati non possem! Ita quidem sunt [illegible] à Spiritu gratiæ aliter informati sumus. Tum autem ἄφθονοι [illegible] [illegible], καὶ [illegible]. [illegible] nullis hic alijs est opus argumentis. Quod non nulli pestis metu absterriti, nobis relictis sese tuo lateri junxerunt, cur id iniquo patiar animo! imo agnosco DEI providentiam, in eaque lubens acquiesco. Attamen quod anno jam ferme exacto, argentum quod mihi apud eos reliquum est non reddunt, sed suis abtrectatiunculis meam scindunt educationem, eandem ~~autem~~ (ut audio) cum sorore cantilenam canentes, id mihi tam bene merito, visum est indignum, & pugnat cum recepta in Scholis nostris consuetudine, prius ut sese alteri socient hospiti: quam hospitio veteri benignè sit factum satis. Scripsi statim post fugam, Deberi pro victu Elardi a Calend. Janua. 77. Ad 4 Junij menses 5. pro Gerardi victu a Calend. Maji ad 4 Junij mensem unum. pro his mensibus sex, mitterent Curatores 15 vulgares daleros. Responsum est, eos ad pascha plusquam mensem totum a meo convictu abfuisse. Non facile patior mihi pretium detrahi quoties animi sua causa Juvenes a meo latere discedunt. Manerent apud inchoata studia animi & meas fruges mecum consumerent. id esset ipsis utile, & mihi longe gratissimum. Sed ne me fugillent, quando in hanc rem eos video incumbere. Detrahant age in menses duos daler. vulgares 5. relinquuntur decem daleri. his addant pro minutijs, nominatim ante descriptis, Dalerum unum & 40 groß. ~~Brem.~~ & 4 Ioachimicos. qui dati sunt hinc abeuntibus, fiet summa debiti ~~Dal~~ 16 & 3 groß.

At

[=Ascr. a. 12: Nr. 318]

At extitit nuper nova caussificatio. Fratres istos in morte sui Patris, denas septim domi consumpsisse, hi
sunt conjunctim menses 5 Quis id neget? hæc caussa fuit sane justissima. Sed illud contra cogitent.
post dilecti patris mortem, cum jam dudum Mater alteri Viro nuptum data esset: meipsum Embdam ve-
nisse, eo die quo Bremam redierant Gerardus & frater Elardus. Ibi ego cum Matre, quæ jam tum cum
adversa Valetudine conflictabatur: supererat tamen curis rerum suarum: contuli rationes datiacceptiq
a principio. Ioh filius natu maximq intempestivè a nobis abductus pro victu debebat menses 6
nempe à Calendis Novemb 73 usque ad exitum Martij 74 Cuiq temporis pretium quum referrem,
respondit se id mihi detrahere pro denis septimam, quibus hi duo a nostro convictu abfuissent. placuit
hoc & mihi: sed eam rogavi porro, ut illos 4 menses quibus Elardus Gerardum in ratiunculis ante ver-
titur: dissolveret. id fore convenientiq. Negavit illa sibi tunc esse in integrum plus argenti e manibq
amittere. Maneret modo cursus annorum qui fuerat hactenq: Elardi à Calend Ianuarij, Gerardi à
Calendis Maji. Siquid impendissem eorum usibus necessarijs, ut id afferrem feci, accepi argentum.
omniaq ibi inter nos ad illud usque tempus amicissime facta transactaq fuerunt. Hæc ego ad illam
caussificationem putavi esse satis. Non decet illos piæ Matris acta rescindere, neque est æquum
bis mihi rem eandem imputari. Obsecro te vero Vir eximie ut hanc meam microlegiam boni
consulas, neque inhonestum existimes de amici pecunia laborare. Doctor Ewichius mihi
provinciam disputandi vobiscum, ademit: Ego vero ei Lampada (quod dicitur) lubens trado,
postquam vobis meam ostendi de eo quod in quæstionem venit, sententiam: desino contendere
odiosius, ne major distractio fiat. Henricus Salburgius & Antoniq a Lancen Viri boni
sunt, invocantes DEUM sine intermissione. Totam ætatem una viximus, pransi, cœnatiq
scripturis legendis tractandisq assiduo intenti fuimus. fateor me sancta ipsorum conversatione
plurimum adjutum fuisse. Ingenia eorum ex Heidelbergensium censura te nolim æstimare.
Declinasse ferunt Doctores illos ad latus navis felicius: & Mylius scribebat nuper, eos molestiarum
fuga, communis caussæ defensionem deseruisse. Certe ipsorum contra hunc disputatio, quam pariter
& logicam & theologicam esse gloriantur, (quum sola disputatrix sit Dialectica) inferior
mihi visa est, tantorum Virorum fama, & existimatione. neque hic mecum pugnabis, si
eorum syllogismos homo acutus, & limato judicio, non ad Critolai libram: sed a P. Rami
Logicam, presse cancelateq appenderis. Scio tamen magnos eos esse viros & optimè de
Ecclesia meritos, quorum honori & reverentiæ, mea in scribendis epistolis libertate nihil detrac-
tum volo. Quod autem in lucrio dixit Antoniq. Artolatras esse, quicunque hoc axioma,
Hic panis est Corpus Christi substantiale, acurate defendunt: tuæ prudentiæ erit hanc ferventis
hominis parrhesiam commoda interpretatione lenire. Non dubium est Monachis olim & eorum
sequacibus hoc functum axioma capitalem fucum fecisse, qui ne miscerent rem [illegible]
μετουσίαν quandam commenti, manifesti artolatræ, horribilem in Ecclesia la[illegible] exercuerunt
hos sequuta est συνουσιαστῶν rabies, quam Philippus Melanthon (qui nondum inciderat
in hæc nostra tempora quando ad stabiliendam abominationem passim delentur Scholæ, &
Ecclesiæ) non dubitavit extremam mundi εἰδωλομανίαν, appellare atque per epistolam diligen
ter commonefecit Doct Albertum ne illud ipsum axioma hic panis est Christi corpq essentiale,
in Ecclesia audiri pateretq. in eo enim re vera esse τὰ ὀστέα, καὶ τὰ νεῦρα τῆς ἀρτολα-
τρείας. Atq hactenus quidem nihil falsi dixit Antoniq. Nunc illud modo in quæstione relinquitur.
An M Meningi dogma, quod exiguo temporis spatio latissimè disseminatum, plurimos habet
propugnatores, pro abominatione haberi possit. quum illam σχολαστικὴν ἔχιδναν, nova
interpretatione suffarcinatam reducere videatur. Qua de re quia Polyandro ante hac scripsi
prolixius: non abutar otio meo, neque ea quæ vobis non probantur pertinacius urgebo.
Quam vellem in sacrosanctis Iesuq Christi Mysterijs retineri sanam sanctamq verborum
eius simplicitatem, quæ sola omnes abominationes Iugulans, sola conscientias ædificans, &

tranquillans

tranquillans. ὁυ εἰη ὀυτως σοφῶν ἐφιεμένων. Esset hoc merito commune votum eorum omnium qui amant Ecclesiæ pacem, quam nostra ætas nullam visura est, donec ejusmodi fatalia Sophismata tanquam profanam farinam olim Monachorum cribro decussam immortalibus D. N. IESV CHRISTI epulis aspergi patiemur. [Bremae, 22. Jan. 1578]

PAX CHRISTI. [An Unbekannt]

Nr. 315) Liræ

Respiras vir fortis apud familiarem tuum Lyræ, quererisque in Epistola provinciam perquam gravem tuis humeris impositam esse. Ecce me vide. qui navis nostræ tabulas in scopulum sævæ pestis nuper illisæ, multo gemens collige. Χαλεπὸν δ' ἐπὶ γήραος ἱκάνει. facessis tamen (ut ais) negotium tibi in isthoc otio: [= Mserc. a. 12 = Nr. 311] imo vero mihi facessis, quem tam longa Epistola provocas, quæ vel loquacem Fabium lassare legendo possit. certe nisi officiose doctèque scripta esset: retinere tam diuturnam animi contentionem, morosus senex ægrè potuissem. Credis amori nostro aliquam ægritudinem intervenisse: Atqui bonorum amicitias oportere ajunt esse sempiternas. Equidem ut studui semper ὀφείλειν τῷ πίστει: ita nunc maxime velim esse προσβύτης ἑδραῖος, καὶ ἀμετακίνητος περισσεύων ἐν τῷ ἔργῳ τοῦ κυρίου. Sed habet et sincerus amor suas querimonias, suamque ζηλοτυπίαν. Quod surgunt Scholæ vestræ moenia, nobis inter rudera, et ruinas tristeis, luctantibus: crede huic seni, nunquam habui tam retortum, tamque malignum oculum, ut DEI patrisfamilias, latissime diffusam bonitatem, præsertim erga fidei domesticos, moleste ferrem. Quis te tam comiter fovi nuper, ut istud quidquid est præclari operis in te bonis avibus reciperes: nunc tuas progressiones, et incrementa sine invidentia pati non possem? Ita quidem sunt mores, sed nos à Spiritu gratiæ longe aliter informati sumus. Tum autem in promptu est vetus verbum, Ἄφθονοι μοῦ τῶν θύραι καὶ πύλαι. Itaque nullis hic alijs est opus argumentis. Quod in quibusdam a me dissentias. Quid istud tam mirum est? quum ego quoque non per omnia sentiam tecum. Scimus: et hanc veniam petimusque, damusque vicissim. In his adolescentibus qui pestis metu absterriti, nobis relictis, tuo sese lateri junxerunt: Lubens agnosco DEI providentiam, in eaque meus æquissimus animus suaviter acquiescit. Attamen quod anno jam fermè exacto toties appellati, argentum non reddunt, quod mihi apud eos reliquum est, sed suis obtrectatiunculis meam scindunt educationem, eandem (ut audio) cum sorore cantilenam canentes; id mihi tam bene de ipsis merito, sanè visum est indignum, et pugnat cum recepta in liberalibus scholis consuetudine, prius ut sese alteri socient hospiti: quam hospitio veteri benignè sit factum satis. Sed hæc mitto: vereor enim vir eximie, ne mea hæc micrologia meis ad te literis indigna videatur. Habeo Gerardi Buningi gratulationem factam versibus non malis, obsidem meæ erga ipsos fidei, ac diligentiæ. non dubito quin facturi sint tandem, quod se suisque parentibus dignum sit. Quæ de vicino nostro scribis nolo defendere. non deerit quod ipse respondeat, ne putes eum prorsus inermem esse. Habet plus otij quam ego, et plus ingenij. Scis eum vobiscum disputandi provinciam ultro in sese recepisse: Ego vero ei Lampada (quod dicitur) perquam lubens trado. Mihi semper mirè placuit τὸ τὰ ἑαυτοῦ πράττειν quod (ut scribit Plato) ἡδιστόν ἐστιν ἐν τῷ βίῳ. De- sino [illegible] ... ossius, ne major distractio fiat. Henricus Saleburgius et Antonius à Langen boni viri sunt, invocantes DEUM sine intermissione. Totam æstatem proximam una domi meæ viximus. Hic pransi, cænatique legendis, tractandisque scripturis assiduè intenti fuimus. Fateri debeo eorum me jucundo convictu, sanctaque conversatione plurimum adjutum fuisse. Ingenia eorum ex illa Heidelbergicum doctorum censura te nolim æstimare. Declinasse ferunt Censores illos ad latus navis felicius. Certe noster Mylius nuper scripsit, Eos molestiarum fuga, communis causæ defensionem deseruisse. Equidem, ut loquar apud te liberè quod sentio, illorum contra hunc disputatio, quam pariter et Logicam et Theologicam esse gloriantur (quum una disputatrix sit Dialectica) inferior mihi visa est tantorum virorum fama, et existimatione. Neque hic mecum pugnabis (sat scio) siquidem eorum Syllogismos, homo acutus et limato judicio, non ad Critolai libram: sed ad P. Rami Logicam pressè enucleateque appenderis. Scio interea magnos esse viros illos, et de tota Ecclesia magnificè meritos. Quorum honori et reverentiæ, mea in scriptitandis literis libertate nihil derogatum volo. Quod autem in surgeto affirmavit Antonius Artolatras esse, quicunque hoc axioma, Hic panis est CHRISTI corpus essentiale sive

+ post ... vobis esse de ... de eo quod quaestionem ... [illegible] ... desino